



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quodnam sit, & dicatur Mandatum Apostolicum, & quot sint genera, seu species hujusmodi Mandatorum, seu literarum beneficialium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

non recipiat divisionem, ut maneat unitas: *este Glossa in relato c. V. Dividi.*

SECTIO VII.

De Mandatis Apostolicis, sive literis beneficiis, quae emanant à Sede Apostolica.

§. I.

Quodnam sit, & dicatur Mandatum Apostolicum, & quot sint genera, seu speciei huiusmodi Mandatorum, seu literarum beneficiarum?

Mandatum Apostolicum dicitur illud rescriptum hoc loco, quo Pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia vel mandat alicui conferri beneficium in aliqua Ecclesia *c. Mandatum. 38. de rescriptis.* quae literae solent etiam Mandata Apostolica de providendo, vel etiam Gratiae expectativae dici & olim triplicis generis erant, monitoriae, praepetoriae, & executoriae, quarum tamen vix hodie usus est. Quae tamen mandata hodie adhuc in usu sunt, & pro beneficiis vacantibus impetrantur sunt in multiplici differentia, ita ut alia, in forma pauperum, seu in forma communi; alia in forma Dignum obtineantur, de quibus *in primo lib. Decretal. Tit. 3.* alia mandata dicantur, si neutri, alia si alteri; alia si nulli; alia si rationi congruit &c. quia tale initium habent; vel à diverso litigantium jure, quod neutri litigantium, vel absolute nulli, vel

alteri saltem litigantium &c. acquisitum est. Nominem autem beneficiorum in his mandatis omnia intelliguntur, quae specialiter à jure non excepta sunt, prout excepta sunt Dignitates, Personatus, beneficia curata, post literas à Papa datas erecta beneficia, beneficia patronata, electiva, unita, suppressa, & extincta, affecta seu Pontifici reservata, beneficia monocularia &c.

§. II.

De quibusdam conditionibus, seu qualitatibus beneficiorum, quae necessario exprimi debent, in mandatis Apostolicis, seu literis beneficiis obtinendis.

Multa *ex Lib. 1. Decret. Tit. 3.* ubi de rescriptis gratiae egimus, jam patent, & hinc breviter hic insinuari aliqua hoc & seq. §. §. sufficiet.

Primo ergo certum est, quod in mandato Apostolico de providendo, necessario fieri debeat mentio, de beneficio, si quod prius ab impetrante mandatum tale obtentum est. *c. cum teneamur 6. h. 1. & c. cum adeo 17. de rescriptis.* (ad cavendam odiosam beneficiorum unius collatorum multipliciter) etiam si teneat, ac modicum illud beneficium sit. *c. penult. de rescriptis. & c. si motu 23. h. 1. in 6.* nisi mandatum tale motu proprio concessum esset, cum motus proprius hanc subreptionem tollat, ut dictum in *relat. Tit. 3. lib. primi Decret.*

Secundo cum mandatum tale, sive rescriptum adaptetur petitioni, consequenter in petitione, vel supplicatione, ea beneficii qualitas explicari debet, cuius